


# SERMONES ROMANI

AD VSVM DISCIPVLORVM  
EDIDIT  
HANS H. ØRBERG



Edizioni Accademia  
*Vivarium novum*

# SERMONES ROMANI

AD VSVM DISCIPVLORVM  
EDIDIT  
HANS H. ØRBERG

Edizioni Accademia  
VIVARIUM  
NOVUM



ANNO MMIX  
MONTELLA

## SERMONES QVI HOC LIBRO CONTINENTVR

Interpretāmenta	4
Dē sermōne cotīdiānō	5
Menaechmī. <i>Plautus</i>	21
Dē versibus Plautī et Phaedrī	27
Dē rē rūsticā. <i>Catō</i>	29
Fābulae Aesōpiae. <i>Phaedrus</i>	31
Colloquium Arminiī cum Flāvō frātre. <i>Tacitus</i>	42
Dē Chrīstiānīs invīsīs. <i>Tacitus</i>	44
Dē cēnā magnā. <i>Lūcās</i>	45
Dē filiō perditō. <i>Lūcās</i>	45
Dē dēnāriō Caesaris. <i>Lūcās</i>	47
Ostentātor pecūniōsī. Ex <i>Rhētoricā ad Herennium</i>	48
Vīta suāvis. <i>Horātius</i>	51
Garrulus molestus. <i>Horātius</i>	53
Dē mendāciō Papīriī puerī. <i>Aulus Gellius</i>	57
Dē convīviō. <i>Aulus Gellius</i>	58
Dē contemnendā morte. <i>Cicerō</i>	59
“Domī nōn sum.” <i>Cicerō</i>	65
Nimis poēta es, Ligurīne! <i>Mārtiālis</i>	66
Dē quaestiōne Chrīstiānōrum. <i>Plīnius</i>	67
Passiō Scillitānōrum	70
Index vocābulōrum	73
Index nōminum	79
Notae	80

In margine pāginārum explānantur vocābula quae nōn reperiuntur in librō cui titulus est LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA, PARS I: FAMILIA ROMANA (ISBN 87-997016-5-0).



## MENAECHMI

*Ex Plautī cōmoediā prologus et scaena ultima*

*Persōnae:* MENAECHMVS I

MENAECHMVS II sīve SOSICLES

MESSENIO, servus Menaechmī II

*Scaena:* EPIDAMNI ante domum Menaechmī I

### PROLOGVS

1-2 Salūtem vōbīs, spectātōrēs, nūntiō!

Apportō vōbīs Plautum – linguā, nōn manū! –  
quaesō ut benignīs accipiātis auribus.

5 Nunc argūmentum accipite atque animadvertisite  
– quam poterō in verba cōferam paucissima.

17 Mercātor quīdam fuit Syrācūsīs senex.

Eī sunt nātī filiī geminī duo,  
ita fōrmā similī puerī utī māter sua

20 nōn internōsse posset quae mammam dabat,  
neque adeō māter ipsa quae illōs pepererat!  
(ut ille dīxit mihi quī puerōs vīderat).

24 Postquam iam puerī septuennēs sunt, pater

25 onerāvit nāvem magnam multīs mercibus.

Impōnit alterum geminum in nāvem pater,  
Tarentum āvēxit sēcum ad mercātum simul;  
illum reliquit alterum apud mātrem domī.  
Tarentī lūdī forte erant cum illūc venit;

Tarentum -ī *n*  
Syrācūsae -ārum *f pl*  
Epidamnus -ī *f* (= Dyrrachium)



Menaechmī -ōrum *m pl*, frātrēs  
geminī, titulus cōmoediae

T. Maccius Plautus -ī *m*, scripsit  
cōmoediās XXI; senex mortuus  
est a. 184 a.C. (ante Christum)

Menaechmus -ī *m* (MEN.)

Sōsiclēs -is *m*

Messēniō -ōnis *m* (MESS.)

prologus = is qui prologum  
dicit  
salūtem nūntiare = salūtem  
dicere

quaesō = rogō  
benignus -a -um = qui bene vult  
argūmentum -ī *n*: a. fābulae =  
rēs quae in fābulā aguntur  
cōn-ferre con-tulisse col-lātum  
= contrahere, brevem facere  
in verba quam paucissima (: tam  
pauca quam) poterō

(puerī) fōrmā simili : fōrmam  
similem habentēs, similēs  
utī = ut  
māter sua (: eōrum) quae mam-  
mam (= pectus) dabat : nūtrīx  
inter-nōvisse (alterum ab alterō)  
= dis-cernere  
ad-eō = etiam; neque adeō = ac  
nē quidem

septuennis -e = VII annōs nātus

onerāre = onere implēre (*onus*  
-eris *n* = quod portātur/vehitur)  
alterum *g*: Menaechmūm (I)  
ā-vehere ↔ ad-vehere  
sē-cum simul = ūnā sē-cum  
mercātus -ūs *m* = locus quō con-  
veniunt mercātōres ut vēndant  
illum alterum: Sōsiclem

sterculinum -i n = locus quo  
stercora colliguntur  
sarcire = ēmendāre, re-ficere  
(< re- + facere)



disciplina -ae f = modus disciplinis/servis imperandi  
aliēnum -i n = rēs aliēna; ab aliēno manum abstineat (: dēbet abstinēre)  
nē sit/eat : nōn dēbet esse/ire  
ambulātor -ōris m = quī ambulat sōbrius -a -um ↔ ēbrius  
nē quō = nē in ullum locum, nē ad quem(quam)

cubitū -ūs m < cubāre; ē cubitū = ē lectō  
cubitū supīnum < cubāre -uisse prius quam cubitum it videat (: cūret) utī villa clausa sit iūmentum -i n = bēstia quae ad trahendum adhibētur, ut equus, bōs, asellus (= asinus)

diligentia -ae f < diligēns

vōmer -eris m = pars arātri acūta quae terram secat mātūrē = temperī cōnficiās fac = fac (: cūrā) ut cōnficiās

inter-diū ↔ noctū adv = nocte clausōs : inclūsōs

vilica -ae f = vīlicī uxor cūrātō ut faciat contentus -a -um + abl = quī suā rē dēlectātur, quī satis habet facitō ut ea tē metuat! nimium adv = nimis luxuriōsus -a -um < luxuria ambulātrix -icis f = quae ambulat focus -i m = ignis domesticus circum-vertere

diēs fēstus = diēs ūtiōsus quō dil adōrantur super focum est imāgō Laris prō cōpiā = ut tempus ei est supplicāre + dat = adōrāre et precārī (deōs) coquere coxisse coctum

mentum trānsferrī, stercus forās efferrī, sterculīnum fierī, sēmen pūrgārī, fūnēs sarcīrī, novōs fierī'.

.....

Haec erunt vīlicī officia:



5

Disciplinā bonā ūtātur...

stercus -oris n

Aliēnō manum abstineat, sua servet dīligenter...


Prō beneficiō grātiā referat, ut aliīs rēctē facere libeat. 2

Vīlicus nē sit ambulātor, sōbrius sit semper, ad cēnam nē quō eat...

Nē plūs cēnseat sapere sē quam dominus!

Amīcōs dominī – eōs habeat sibi amīcōs... 3

Prīmus cubitū surgat, postrēmus cubitum eat. Prius 5 vīllam videat clausa utī sit, et utī quisque suō locō cubet, et utī iūmenta pābulum habeant.



3

[Admonētur vīlicus:]

Bovēs māximā dīlignantā cūrātōs habētō! ... 6

Arātra vōmerēsque facitō utī bonōs habeās! ... 7

Opera omnia mātūrē cōnficiās fac, nam rēs rūstica sīc est: sī ūnam rem sērō fēceris, omnia opera sērō faciēs...

Canēs interdiū clausōs esse oportet, ut noctū ācriōrēs et 124 vigilantiōrēs sint...

Vīlicae quae sunt officia, cūrātō faciat! Sī eam tibi 143 dederit dominus uxōrem, eā estō contentus! Ea tē metuat facitō! Nē nimium luxuriōsa siet!... Ad cēnam nē quō eat, nēve ambulātrīx siet... Munda siet. Focum pūrum circum- 2 versum cotīdiē, priusquam cubitum eat, habeat. Kalendīs, īdibus, nōnīs, fēstus diēs cum erit, corōnam in focum in-



corōna -ae f

dat, per eōsdemque diēs Larī familiārī prō cōpiā supplicet. Cibum tibi et familiae cūret utī coctum habeat.

## DE LVPO ET AGNO

*Phaedrus: Fābulae Aesōpiae, I.1*

Ad rīvum eundem lupus et agnus vēnerant  
sītī compulsi. Superior stābat lupus,  
longēque īinferior agnus.

Tunc fauce improbā

latrō incitātus iūrgī causam intulit:

“Cūr” inquit “turbulentam fēcistī mihi  
aquam bibentī?”

5

Lāniger contrā timēns:

“Quī possum, quaesō, facere quod quereris, lupe?  
Ā tē dēcurrat ad meōs haustūs liquor!”

Repulsus ille vēritātis vīribus:

“Ante hōs sex mēnsēs” aīt “maledīxitī mihi!”

10

Respondit agnus: “Equidem nātus nōn eram!”

“Pater hercle tuus” ille inquit “maledīxit mihi!”

– atque ita correptum lacerat iniūstā nece!

Haec propter illōs scrip̄ta est hominēs fābula  
quī fictīs causīs innocentēs opprimunt.

15

com-pellere -pulisse -pulsum  
= cōgere

faucēs -ium *f pl* = ōs dēvorāns;  
cupiditās vorandi (-e *abl sg*)  
latrō : lupus  
incitāre = excitāre animum  
in-ferre in-tulisse il-lātum  
turbulentus -a -um = turbidus;  
(aquam) turbulentam (: sordi-  
dam) facere = turbāre

lāni-ger -erī *m* = quī lānam gerit  
(: agnus)  
qui *adv* = quōmodo  
haustus -ūs *m* < haurīre; meōs  
h.ūs : locum ubi hauriō (: bibō)  
liquor -ōris *m* = māteria *liquida*,  
ut aqua, lac, vinum, oleum...  
re-pellere reppulisse re-pulsum

cor-ripere -iō -ripuisse -reptum  
= reprehendere, accūsare  
ita correptum *agnum* lacerat  
haec fābula

avidus -a -um = cupidus ha-  
bendi/edendi  
dē-cipere -iō -cēpisse -ceptum  
= fallere  
meritō *adv* = ut meritum est  
proprium -i *n* ↔ aliēnum  
ap-petere (< ad-) = cupidē  
petere

lympha -ae *f* = aqua  
simulācrum -i *n* = imāgō  
praeda -ae *f* = quod captum est

aviditās -ātis *f* < avidus; dēcepta  
a. : canis avidus dēceptus  
dī-misit : āmisit (cibum quem  
ōre tenēbat)  
ad-eō *adv* = etiam; nec adeō =  
ac nē quidem


## DE CANE AVIDO DECEPTO

*Phaedrus, I.4*

Āmittit meritō proprium quī aliēnum appetit.

Canis per flūmen carnem cum ferret natāns,  
lymphārum in speculō vīdit simulācrum suum;  
aliāque praedam ab aliō cane ferrī putāns  
ēripere voluit. Vērum dēcepta aviditās  
et quem tenēbat ūre dīmisit cibum  
nec quem petēbat adeō potuit tangere!

5



## DE SOCIIS LEONIS

*Phaedrus, I.5*

Numquam est fidēlis cum potentī societās.

Testātur haec fābella prōpositum meum:

Vacca et capella et patiēns ovis iniūriae  
sociī fuēre cum leōne in saltibus.

5 Hī cum cēpissent cervum vāstī corporis,  
sīc est locūtus, partibus factīs, leō:

“Ego prīmam tollō, nōminor quia ‘rēx Leō’;  
secundam, quia sum fortis, tribuētis mihi;  
tum, quia plūs valeō, mē sequētur tertia  
10 – malō afficiētur sī quis quārtam tetigerit!”

Sīc tōtam praedam sōla improbitās abstulit!

capella -ae f = parva capra

socius -i m = qui commūni ne-gōtiō coniungitur cum aliquō  
fidēlis -e = fidus : tūtus  
potēns -entis adi = qui potes-tātem habet  
societās -tatis f < socius  
testāri (< testis) = dēmōnstrāre  
prōpositum -i n (< prō-pōnere)  
= dictum quod prōpōnit  
patiēns iniūriae (gen) = qui in-iūriam patitur | ~ēre = ~ērunt  
saltus -ūs m = silva (in monte)  
vāstus -a -um = ingēns

prīmam partem

tribuere -uisse -ūtum = dare  
(quod dēbētur), trādere  
valēre = validus esse  
mē sequētur : mihi dabitur  
sī quis : quisquis

improbitās -ātis f < improbus;  
sōla i. : sōlus leō improbus



persōna tragica



persona cōmica

## DE VVLPE ET PERSONA INANI

*Phaedrus, I.7*

Persōnam tragicam forte vulpēs vīderat:

“Ō quanta speciēs!” inquit, “– cerebrum nōn habet!”

Hoc illīs dictum est quibus honōrem et glōriam  
fortūna tribuit – sēnsum commūnem abstulit.



vulpēs -is f

inānis -e = vacuus

tragicus -a -um ( $\leftrightarrow$  cōmīcus) =  
qui convenit ad *tragoediam*  
tragoedia -ae f ( $\leftrightarrow$  cōmoedia)  
= fābula scaenica sēria  
speciēs -ēi f = quod aspicitur,  
fōrma pulchra, pulchritūdō  
honōs -ōris m = laus, glōria  
sēnsus -ūs m < sentire; s. com-mūnis = mēns rēctē sentiēns  
dē rē commūnī, mēns sāna

## GARRVLVS MOLESTVS

*Q. Horatius Flaccus: SERMONES, I. 9*

Íbam forte viā Sacrā, sicut meus est mōs  
nescioquid meditāns nūgārum, tōtus in illīs.  
Accurrit quīdam nōtus mihi nōmine tantum,  
arreptāque manū: “Quid agis, dulcissime rērum?”  
5 “Suāviter, ut nunc est” inquam, “et cupiō omnia quae  
vīs.”

Cum adsectārētur, “Num quid vīs?” occupō.

At ille


“Nōris nōs” inquit, “doctī sumus.”

Hīc ego “Plūris

hōc” inquam “mihi eris.”

Miserē discēdere quaerēns  
īre modo ūcius, interdum cōsistere, in aurem  
10 dīcere nescioquid puerō – cum sūdor ad īmōs  
mānāret tālōs.

“Ō tē, Bōlāne, cerebrī  
fēlicem!” āiēbam tacitus, cum quidlibet ille  
garriret, vīcōs, urbem laudāret.



Ut illī  
nīl respondēbam, “Miserē cupis” inquit “abīre,  
15 iam dūdum videō – sed nīl agis: ūsque tenēbō,  
persequar! Hinc quō nunc iter est tibi?”

[Ego:] “Nīl opus est tē  
circumagī: quendam volo vīsere nōn tibi nōtum;  
trāns Tiberim longē cubat is, prope Caesaris hortōs.”  
[Ille:] “Nīl habeō quod agam et nōn sum piger: ūsque  
sequar tē.”

garrulus -a -um = qui garrit;  
garrīre = nūgās fābulārī

sacer -cra -crum: (locus) sacer =  
ubi diī adōrantur (ut templum);  
via Sacra per Forum dūcit ad  
templa deōrum; (vījā Sacrā)  
nescio-quid = aliquid  
meditārī = cōgitārē

ar-ripere -iō -uisse -reptum = ad  
sē rapere, citō prehendere  
“quid agis” inquit “dulcissime  
rērum (: cārissime omnium)?”  
cupiō tībi omnia quae vīs

ad-sectārī = sequī pergere  
occupārē = prius dīcere

nōveris (coni perf) nōs (: mē) =  
putō tē nōvisse nōs (mē tībi  
nōtum esse); doctus sum  
plūris : plūris aestimandus; hōc  
plūris = tantō plūris

quaerere + inf = cupere  
ūcius adv comp = celerius  
ire, cōsistere, dīcere : ībam,  
cōsistēbam, dīcēbam  
puerō : servō meō  
mānāre = fluere  
tālus -ī m = īfima crūris pars  
Bōlānus -ī m, quidam vir īrā-  
cundus (= qui facile īrascitur)  
cerebrum : mēns īrācunda; tē  
cerebrī fēlicem! = tū quam  
fēlix es ob cerebrum!  
(cēreb-rī)

ut + imperf ind = cum + imperf  
coni: ut illī nīl respondēbam  
= cum illī nīl respondērem

ūsque (: sine morā) tenēbō tē  
persequar tē

nīl/nihil adv = nūllō modō, nōn  
circum-agere

cubat : lectō tenētur, aegrōtat  
hortī Caesaris: quōs C. Iūlius  
Caesar populō Rōmānō  
dōnāvit

## DE QVAESTIONE CHRISTIANORVM

C. Plinius Secundus: EPISTVLAE

Liber X, Epistula XCVI

C. Plinius Trāiānō Imperātōrī.

- 1 Solleme est mihi, domine, omnia dē quibus dubitō ad tē referre. Quis enim potest melius vel cūnctatiōnem meam regere vel ignōrantiam īstruere?

Cognitiōnibus dē Chrīstiānis interfūi numquam. Ideō nesciō quid et quātenus aut pūnīrī soleat aut quaerī.

- 2 Nec mediocriter haesitāvī,

- sitne aliquod discrīmen aetātum, an quamlibet tenerī nihil ā rōbustiōribus differant?
- dētur paenitentiae venia, an eī quī omnīnō Chrīstiānus fuit dēsiisse nōn prōsit?
- nōmen ipsum, sī flāgitiīs careat, an flāgitia cohaerentia nōminī pūniantur?

Interim, in iīs quī ad mē tamquam Chrīstiānī dēferēbantur hunc sum secūtus modum:

- 3 Interrogāvī ipsōs ‘an essent Chrīstiānī?’ Cōnfidentēs iterum ac tertīo interrogāvī supplicium minātus. Persevērantēs dūcī iussī. Neque enim dubitābam, quāle-cumque esset quod fatērentur, pertināciam certē et īflexibilem obstinātiōnem dēbēre pūnīrī.

- 4 Fuērunt aliī similis āmentiae, quōs, quia cīvēs Rōmānī erant, adnotāvī in Urbem remittendōs.

Mox – ipsō tractātū, ut fierī solet, diffundente sē crī-mine – plūrēs speciēs incidērunt.

- 5 Prōpositus est libellus sine auctōre multōrum nōmina continēns.

quaestiō -ōnis f: in iūdiciō  
C. Plinius Secundus vīxit a. 61/ 62–±113 p.C. Epistulās ēdedit; a.110–112 in Asiā Bithyniam prōvinciam administrāvit unde epistulās misit ad Trāiānum  
M. Ulpius Trāiānus, Imperātor Rōmānus a. 98–117  
sollemnis -e = quod certis temporibus solet fierī; n mōs cūnctatiō -ōnis f < cūnctārī = incertus morārī  
ignōrantia -ae f < ignōrāre : mē cūntantem regere vel ignōrāntem īstruere (= docēre)  
cognitiō (<cognōscere)=quaestiō inter-esse + dat = adesse in quā-tenus adv = quem ad finem mediocris -e = modicus, adv -iter haesitāre = cūnctārī, dubitāre discrīmen -inis n < dis-cernere tener -a -um = parvus et dēbilis quam-libet tenerī: etiam tenerrimī rōbustus -a -um = validus dif-ferre = discernī, aliter tractārī paenitentia -ae f = dolor eius quī sē peccāvisse fatētur; p.ae veni-am dare = ignōscere ob p.am venia -ae f = ignōscendī grātia nōmen ‘Chrīstiānus’  
co-haerēre -sisse + dat = con-iungī cum

dē-ferre (reum) = dēnūntiāre, reum facere, accūsāre

cōfidentēs = eōs quī cōfite-bantur  
tertiō/tertium adv  
per-sevērāre = cōnstanter per-manēre  
dūcī ad supplicium  
-cumque: quālis- quāle-cumque  
pertinācia -ae f < pertināx -ācis  
adi = persevērāns  
in-flexibilis -e = quī nōn flectitur  
obstinātiō -ōnis f = pertinācia  
ā-mentia -ae f < ā-mēns -entis  
adi = īsānus (mente)  
ad-notāre = statuere (notā)  
remittendōs esse  
tractātus -ūs m = modus tractandī  
dif-fundere = spargere  
speciēs -ēi f = fōrma, genus  
in-cidere = ēvenīre, fierī